SENTENTIA

Illustriss. & Reuerendiss. D. Bonuisij Pro Vniuersitate Mercatorum de Fundaco,

Contra Vniuersitatem Merciariorum Vrbis.

In nomine Domini Amen.

Præsenti publico Instrumento cunctis vbique pateat euidenter, & sit notum quod anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo secundo Indictione decima quinta die vero septima mensis Augusti. Pontificatus autem fel. rec. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. anno eius nono. Coram Illustriss. & Reuerendiss. D. Bonuisio C.A.C. Pro Vniuersitate Mercatorum Vrbis, contra D. Ftanciscum Petruccium Camerarium Vniuersitatis Merciariorum Vrbis Laurentius SS. D. N. Papæ Cursor retulit in scriptis se die heri personaliter eumdem citasse ad viden. reiterari omnes, & singulos terminos substantiales forsan nulliter, malè, & inculcatè tentos, & seruatos in vim quarumcumque facultatum, videndum absolui ad effectũ deferri iuramentum in supplementum plenę probationis quatenus opus sit, concludendum, concludique

vi-

videndum, & audiendum sententiam diffinitiuam ad p.d. Instante eadem principali siue &c. Relatione facta comparuit D. Michael Confalonerius Consul, & Camerarius, & petijt, & institit vt supra. Tunc Illustriss. D.S. &c. V. &c. A. &c. pronunciauit, & sententiauit prout in cedula, quam præ manibus habens mihi &c. legen. & regi. ran. dedit tenoris sequentis videlicet. CHRISTI NOMINE INVOCATO pro Tribunali Sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de Iuris Peritorum Consilio ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ primo, & in prima, seu alia veriori coram Nobis versæ fuerunt, & vertuntur instantijs inter Vniuersitatem Merciariorum Vrbis Actricem ex vna, & Vniuersitatem Mercatorum Fundacariorum Vrbis Ream conuentam ex altera de, & super contributione taxis, & alijs oneribus Cameralibus, & particularibus Vniuersitatis Merciariorum, & paritione, ac obseruatione Statuti ipsorum Merciariorum, omnibusque alijs &c. in actis causæ, & causarum huiusmodi, ac illorum occasione latius deductis, dicimus, pronunciamus, sententiamus, decernimus, & declaramus de voto totius Cameræ dictam Vniuersitatem Mercatorum Fundacariorum Vrbis. Ipsosque particulares Mercatores Fundacarios tam descriptos in Vniuersitate Merciariorum, quam non descriptos, & vendentes in eorum apothecis apertis pannos, saias, drappos, ciambellottos, & alias merces minutatim cum canna, media canna, ac numero pondere, & mensura à potestate & iurisdictio-

ctione Consulum Merciariorum, ac ab obseruatione, & paritione Statuti ipsorum Merciariorum, & denique à solutione, cuiuscumque taxæ, seu contributione quibusuis oneribus Cameralibus, & particularibus ipsius Vniuersitatis Merciariorum eximen. & liberan. fore, & esse prout nos per hanc nostram diffinitiuam sententiam eximimus, & liberamus, eamdemque Vniuersitatem Mercatorum, ipsosque particulares Mercatores Fundacarios ad obseruationem, & paritionem Statuti Merciariorum, ac ad solutionem, seu contributionem cuiuscumque taxæ, & aliorum onerum ipsorum Merciariorum minimè teneri, nec obligatos esse decernimus, & declaramus, molestationes quoque, perturbationes, iactationes, & impedimenta quæcumque per dictam Vniuersitatem Merciariorum. Ipsosque particulares Merciarios præmissorum occasione & alias quomodolibet, & quouis prætextu factas præstitas, vel illatas, factaque præstita, vel illata, fuisse, & esse temerarias, illicitas, indebitas, & iniustas, temerariaque illicita, indebita, & iniusta, ac de facto præsumptas, & præsumpta illosque, & illa fecisse aut facere de iure minimè licuisse, & licere. & propterea de, & super illis, alijsque præmissis dictæ Vniuersitati Merciariorum, ipsisque præticularibus Merciarijs perpetuum silentium imponendum fore, & esse prout imponimus, dictamque Vniuersitatem Merciariorum in expensis in causa factis condemnandum fore, & esse prout condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure in

po-

posterum reseruamus & ita dicimus, & pronunciamus, eximimus, liberamus, imponimus, decernimus, declaramus respectiuè, condemnamus, atque diffinitiuè sententiamus non solum præmisso, sed etiam omni alio meliori modo &c. Ita pronunciaui Ego Hieronymus Bonuisius C. A. C. & Iudex. Et ego legi, & publicaui præsentibus ibidem audientibus, & intelligentibus Socijs Connotarijs Testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.

Loco † sigilli.

Ego Aurelius Pulcitus Reuerendæ Cameræ Apostolicæ Notar. de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicaui req. &c.

R O M AE,
Ex Typographia Reu. Cam. Apost.
MDCLVIII.